

*virtus moralis autem eadem ut est bonum quid, respicit. Illius
usus n̄ scil. intellectus, hoc bonum scil. voluntatis opus est. Pri-
ori modò circa omnium virtutum moralium objecta versatur
circumstantias ponderando, & media ad exercitium necessa-
ria examinando. Hinc & omnium virtutum moralium nor-
ma & directrix dicitur. Quod deinceps *Kekermannus Pruden-
tiam* hòc nomine *moralis* dicere conatur, quia *perficit volun-
tatem & appetitum*, ratio itidem est inconsequens. Nam per-
ficit mentis virtus practica intellectum practicum in ordine ad
verum practicum ita, ut intellectus voluntati verum practicum
ostendere possit, & ostendat, quod ubi facit, *voluntas* secun-
dum verum hoc agit, atque ita in bonum, ut loquantur, agibile
tendit.*

§. 11.

Fixum ergò firmumque manet, quod *Prudentia non sit*
habitus ex parte moralis, & ex parte intellectualis, sed tantum
intellectualis, ut comprobatum ivimus.

§. 12.

Notanter autem in definitione *habitu* particula *verus*
additur, per quam ab *opinionem* distinguitur, quia *prudentia tan-
tùm de veris, sed opinio de falsis quoque esse potest*. Per eandem
etiam discernitur à *dispositione*, quæ est aliquid imperfecti, & ru-
dimentum saltem perfectæ qualitatis.

§. 13.

A genere *Prudentia* transimus ad ejus *differentiam*. Hæc
autem à *causis* desumitur, inter quas notari meretur 1.) *causa*
*efficiens, quæ vel universalis sive remota, vel propinqua, vel prox-
ima est. Remota seu universalis (est natura quæ naturans, quæ
naturata, juxta sententiam nonnullorum, quæ tamen cum
grano salis est accipienda) Naturans Deus est, qui sicut omni-
um bonorum autor & largitor est: ita etiam Prudentia ab eo
suam trahit originem. Is enim bonam corporis temperiem,
& dispositionem ad virtutem hanc necessariam largitur, men-
tesque hominum ejusdem amore inflamat. Quod etiam
Ethnici in Cimmeriâ Vandalorum nocte palpantes agnoverunt,
unde Seneca dicit, bonum verum à Deo esse, & nullam sine Deo
mentem*